

non posse; et fortasse moti sunt, quia ex vi cessationis non tantum prohibemur dicere, sed etiam audire divina; quamvis autem prohibitio dicendi non comprehendat privatam recitationem, prohibet tamen auditionem, etiam privatam recitationis. Unde nullus etiam laicus potest eo tempore audire sacerdotem privatim recitantem. Duplici ergo ex capite non poterunt clerici bini dicere officia: primo, quia jam non est omnino privata, sed aliquo modo publica illa recitatio. Secundo, quia, licet unicuique eorum licitum sit recitare, non tamen alium audire. Estque hæc pars probabilis; contraria tamen est secunda, et in praxi servari potest. Non quidem ob privilegium cap. Quod in te, sed quia censeo, illam recitationem satis esse privatam, cum sit inter duos tantum, neque esse ibi distinguendam auditionem a recitatione, quia utrumque fit per modum unius; nam ex illis duabus personis veluti conficitur unus integer minister illius actionis; et ideo, sicut clericus non prohibetur recitando audire seipsum, ita neque socium audire. Item quia de hac re nulla est expressa in jure prohibitio, et tota hæc cessatio dirigatur ad officia Ecclesiastica quatenus ita publice fiunt, ut ad populi participationem, seu auditionem ordinentur, sub quibus in rigore non comprehenditur recitatio officii inter duos sacerdotes; propter quod hanc partem eligendam censeo, quæ modernis etiam scriptoribus probatur.

45. *An per cessationem omnia divina officia prohibeantur.* — *Simpliciter lata omnia divina officia prohibet.* — Alia interrogatio est, an per cessationem a divinis prohibeantur semper omnia divina officia. Quod est quærrere, an hæc cessatio sit semper totalis, vel possit etiam esse partialis ad eum modum, quo de suspensione et interdicto distinximus. Videtur enim fieri posse, ut aliquando præcipiatur cessari ab horis canonicis, non vero a Missæ sacrificio, aut e contrario, quia hæc inter se connexa non sunt, et modus prohibitionis pendet ex voluntate ferentis. In contrarium vero est, quia ratio cessationis videtur consistere in quadam totali privatione, quæ non suscipit magis, nec minus. Quæ posterior ratio convincit, quoties cessatio a divinis simpliciter fertur, totalem esse, et omnia divina officia simpliciter prohibere, ac denique omnes effectus cessationis habere, quia verba absoluta hanc habent vim, maxime in his pœnis privativis, quæ negationem includunt. Unde omnia jura, quæ

de hac cessatione loquuntur, de hujusmodi etiam totali privatione intelliguntur; ergo eodem modo intelligenda est sententia quoties simpliciter fertur.

46. *Potest tamen Episcopus ferre quoad aliqua tantum.* — *Excluditur quorundam sententia.* — At vero, loquendo de possibili, nihil videtur repugnare, quod in hoc genere prohibitionis detur privatio partialis, ut prior ratio convincit. In jure autem nullum habemus hujus rei exemplum, quia nullam habemus cessationem ipso jure latam, ut supra dixi. Si autem iudex in sententia adderet determinationem limitantem cessationem ad unum genus officii tantum, sine dubio non plus operaretur, quia sententia iudicis non operatur, nisi juxta voluntatem ejus; et hæc non plus efficit, quam verbis exprimat, ut sæpe in similibus diximus. Dicunt vero aliqui hoc posse facere Summum Pontificem, quia est supra omne jus; non vero inferiores Episcopos, qui juri communi subjiciuntur, et non possunt modum censurarum vel pœnarum jure præscriptum immutare; in jure autem non invenitur talis modus cessationis partialis, sed totalis tantum. Ego tamen non invenio in jure communi ubi positive, ut sic dicam, præscriptum sit, ut hæc cessatio solum integra et totalis ponatur, sed solum invenio in eo fieri mentionem cessationis absolute, et sine limitatione, ut in cap. Si canonici, de Officio ordin., in 6, et aliis supra citatis. Et in aliquo casu præcipit, ut cessatio totalis ponatur, ut in cap. Non est vobis, de Sponsalibus. In cap. autem 4 de Jure patron. videtur indicari quædam cessatio partialis in particulari Ecclesia, cum dicitur: *Præcipiatur ab Episcopo, ut nullo modo ibi Missarum solemnitas celebrentur.* Nam ex vi horum verborum non videntur ibi prohiberi sacramenta, vel horæ canonicæ; quamvis probabile sit prohibitionem esse absolutam de usu talis Ecclesiæ ad officia divina; nam in cap. 2, dicitur: *Ejusdem Ecclesiæ claudat ostia, ut sacrum mysterium nullus ibi celebret.* Probabile ergo est in jure non fieri mentionem partialis cessationis; ex hoc autem inferri non potest, hanc cessationem partialem esse jure communi prohibitam, quia nec talis prohibitio expresse ponitur, nec quoad hanc partem præscripta est certa forma necessario servanda in cessatione ferenda, sed solum quoad alias circumstantias sectione sequenti explicandas. Unde in hoc etiam sensu dici potest cessatio esse quid facti, et non juris,

quia quoad substantiam suam, non est instituta per determinatam juris formam, sed introducta est per voluntatem Prælati, vel alterius habentis potestatem ex privilegio, vel consuetudine, jure permittente. Quapropter non censeo hoc excedere ordinariam potestatem Episcoporum; nam, qui potest totum prohibere, potest et partem solam, quando aliud specialiter non obstat, quod hic non invenimus. Verum est, ordinarie et juxta communem consuetudinem Ecclesiæ hoc non fieri, quia moraliter non est necessarium, cum cessatio poni non soleat, nisi post alia remedia, et quando jam expedit omnino divina organa suspendere; nam, quando partialis prohibitio sufficit, per interdicta fieri solet, et hic ordinarius usus tam a Pontifice quam ab aliis Episcopis servari solet.

47. *Campanarum pulsatio, an prohibeatur tempore cessationis.* — Denique interrogari potest, an hæc cessatio prohibeat etiam campanarum pulsationem. Dico tamen in hoc nihil esse a jure præscriptum, et ideo ex vi verborum in tantum hæc prohiberi in quantum aliquo modo pertinet ad divinum officium, id est, quatenus est signum convocans populum Christianum ad illud audiendum; hac enim ratione prohibetur etiam per interdictum; ideoque ut minimum, quantum hic usus prohibetur ex vi interdicti, tantum videtur prohiberi ex vi cessationis; nam, licet prohibitiones hæc sint distinctæ, tamen, quoad materiam hanc divinorum officiorum quæ prohibent, conveniunt et æquiparantur. Quapropter signum campanæ ad concionem, Angelicam salutationem, et similia, quæ officia divina non sunt, non est prohibitum ex vi cessationis. Nihilominus tamen, si consuetudine receptum sit, ut major privatio hujusmodi usus propter cessationem observetur ab Ecclesia matrice, seu principali illius loci, illa est a cæteris consuetudo servanda. Quod interdum esse poterit sub obligatione, vel propter modum consuetudinis, vel propter scandalum.

De privatione sacramentorum.

48. *Communis sententia.* — *Cessatio non prohibet baptismum parvulorum, nec pœnitentiam morientium.* — *Nec Eucharistiam per modum viatici.* — Certum est hanc etiam privationem contineri sub effectu cessationis a divinis, quoniam sacramenta, et usus eorum, divina etiam sunt. Imo generatim lo-

quando, comprehenduntur sub divinis officiis, ut ponderavit Panormitanus ex illo textu in cap. Non est vobis, de Sponsalibus. Difficultas vero est, an sit aliqua exceptio in hoc faciendâ, et quænam illa sit. In qua re omnes conveniunt excipi in primis baptismum parvulorum, et pœnitentiam morientium, ex dict. cap. Non est vobis, cujus verba sunt: *Nulla divina officia, præter baptismum parvulorum, et pœnitentiam morientium celebretis, vel permittatis aliquatenus celebrari.* Dicit vero potest, Pontificem eo loco non dedisse formam generalem imponendi cessationem, nec explicasse effectus ejus; sed solum præcepisse, ut in certo quodam casu talis modus cessationis poneretur. Imo, addendo expresse exceptionem, indicasse videtur, si absolute præcepisset cessationem imponi, et exceptionem non declarasset, nihil excipiendum fuisse. Nihilominus tamen omnes Doctores intelligunt, illam exceptionem fuisse additam ad majorem claritatem, non tamen ex speciali benignitate et concessione, sed ex communi jure, et perpetua observatione Ecclesiæ valde consentanea divino juri, quia illa duo sacramenta sunt necessaria ad salutem fidelium, ut nullo tempore ab Ecclesia negentur. Unde fit, etiam Eucharistiam morientium, ut sic dicam, seu per modum viatici, non prohiberi ex vi cessationis, tum quia etiam Eucharistia est suo modo necessaria jure divino; tum maxime, quia in cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., declaratum est, quoties in jure præscribitur, ut morientibus pœnitentia non negetur, viaticum etiam comprehendendi, quod vere pœnitentibus negandum non est.

49. *Tempore cessationis potest fieri sacrum semel in hebdomada.* — *Occurritur objectioni.* — Ex quo necessaria consecratione morali colligitur, permissum esse sacerdotibus hoc tempore illum usum Eucharistiæ, et sacrificii Missæ, qui vel ex jure vel ex facto necessarius est ad ministrandum viaticum morientibus. Ex jure appello necessarium usum illum, de quo mentio fit in cap. Permittimus, de Sentent. excomm., ubi semel in hebdomada confici permittitur corpus Domini tempore interdicti, ut renovari possit, et pro infirmis custodiri; idem ergo fieri posse diximus tempore cessationis, non quia cessatio sub interdicto comprehendatur, sed ex morali necessitate æquali; nam sicut tempore interdicti servanda est Eucharistia pro infirmis, ita et tempore cessationis, quando-

quidem ministranda est. Ex hoc autem consequenter sequitur, ut sit etiam renovanda, si cessatio duret; nam hoc spectat ad reverentiam ipsius sacramenti; et ideo nec debet, nec potest omnino ab Ecclesia prohiberi. Atque hinc rursus concludo, hanc renovationem fieri posse octavo quoque die, sicut in illo textu declaratur, cumque non possit renovari, nisi in Missæ sacrificio, fit consequens, ut illud etiam offerri possit. Dices, in illo textu solum dici, *Permittimus, et, tempore interdicti*. In priori autem verbo significatur tam frequentem renovationem non esse necessariam, sed permissam, idque non in quolibet tempore prohibito, sed per interdictum; ergo licet tempore cessationis licita sit renovatio absolute necessaria ad reverentiam sacramenti, non tamen ita frequens, quia per plures dies sine periculo differri potest. Respondeo, tempus hujus dilationis, vel renovationis arbitrium esse; neque enim lege aliqua aut ex sola rei natura satis definitum est; pendet ergo ex prudentia; nam, servata reverentia debita sacramenti, juxta qualitatem loci et circumstantiarum aliquando potest magis differri, nonnunquam vero necesse est frequentius fieri. Ut ergo aliquid esset circa hoc stabile pro tempore interdicti, declaratum fuit in illo cap. *Permittimus*, sufficere, ut hæc renovatio semel in hebdomada fiat. In hoc enim sensu positum est dicto loco verbum *Permittimus*; non enim positum est verbum præceptivum, quia noluit Pontifex obligare, ut renovatio sacramenti per plures dies non differatur, sed solum approbare illam frequentiam, et prohibere, ne tempore illo frequentius fiat sacrificium ad hunc finem. Quod quidem jus respectu interdicti jam non est necessarium propter concessionem cap. Alma. Respectu vero cessationis, quamvis illud jus eam non comprehendat, ut argumentum convincit, tamen ex illo sumimus, determinationem temporis prudenter fieri juxta formam illius capituli etiam tempore cessationis. Nam in primis inde colligimus, non posse tempore cessationis fieri sacrum ad finem renovandi Eucharistiam, frequentius quam semel in hebdomada, quia, si tempore interdicti hoc non licebat juxta antiquum jus, signum est, aliam majorem frequentiam non esse moraliter necessariam ad reverentiam sacramenti; ergo neque nunc erit licita tempore cessationis. Rursus cum illa frequentia approbata fuerit, merito credere possumus illam esse valde convenien-

tem ad decentiam sacramenti; ergo possumus nunc illa etiam uti tempore cessationis; nam, cum hoc sit arbitrium, optime faciemus utendo arbitrio, quod jus ipsum aliquando probavit.

20. *Quovis etiam die potest fieri sacrum, si opus sit conferre viaticum, et non sit Eucharistia. — Satisfit objectioni.* — Potest tamen aliquando contingere Eucharistiam non esse pro infirmis reservatam, et aliquem esse in eo necessitatis articulo, ut moriturus credatur sine viatico, nisi de novo consecratur; et hanc vocavi facti necessitatem, existimoque esse sufficientem, ut tempore cessationis Missa dicatur. Quia ibi concurrunt duo jura, divinum communicandi in articulo mortis, et humanum prohibens sacrificare hoc tempore; ergo illud prius præferendum est, cum non sit aliqua urgens causa, vel necessitas, ob quam posterius præferatur. Dices præceptum divinum obligare infirmum existentem in necessitate, non vero sacerdotem, qui propter illum communicandum sacrificaturus est. Respondeo aliquando posse contingere, ut etiam ipse sacerdos sit in extremo periculo mortis vel naturalis vel violentæ, et communicare non possit nisi sacrificando. Deinde etiam sacerdos tenetur naturali jure charitatis subvenire proximo in ea necessitate existenti, ministrando ei viaticum, si commode potest; non est autem verisimile, Ecclesiam hoc ei prohibuisse in illo articulo cum tanto rigore, ac discrimine proximi. Denique qui aliquem actum concedit, non prohibet ea, quæ moraliter sunt necessaria ad talem actum; Ecclesia autem concedit, ut tempore cessationis viaticum ministretur morientibus; ergo ubi id fieri non possit sine sacrificio, hoc etiam facere non prohibet.

21. *Advertendum pro his exceptionibus.* — Adverto tamen, in hoc, et superiori casu, necessarium esse, ut sacrificium fiat cum ea moderatione, ut, quantum fieri possit, cessatio servetur in omnibus, quæ ad illum finem necessaria non sunt, quia cum prohibitio cessationis per se obliget, et solum propter hunc finem in tali casu veluti suspendatur, aut limitetur, solum intelligitur limitari in his, quæ ad illum finem necessaria sunt, scilicet, quoad sacramenti consecrationem, et sacrificii oblationem cum debitis caeremoniis et quasi intrinseca solemnitate; reliqua vero prohibita manent; et ideo debet fieri sine populi convocatione et secreto, ac denique cum aliis circumstantiis positis in d. cap. *Permit-*

timus, cum similibus; nam illæ circumstantiæ veluti ex natura rei sunt necessariae, supposita hac prohibitione generali. Sicut etiam tempore cessationis potest deferri Eucharistia infirmis cum pompa necessaria ad reverentiam tanti sacramenti, et dato etiam vel delato signo campanæ, quo fideles ad comitandum sacramentum convocentur; nullum tamen officium divinum dicendum est, quia hoc per se est prohibitum, et alias ad actum concessum convenienter agendum necessarium non est.

22. *Baptismus adultorum an sit etiam ministrandus tempore cessationis. — Conclusio.* — De his vero, et aliis sacramentis nonnulla dubia supersunt. Primum est de baptismo adultorum, an sit permissus tempore cessationis. Et est ratio dubii, quia in illo c. Non est vobis, solum permittitur baptismus parvulorum; ergo aliud tacite negatur. Item, quia baptismus non est ita necessarius adultis, sicut parvulis; ergo nec propter similitudinem rationis potest illa concessio extendi. Nihilominus probabilius censeo, etiam adultis posse ministrari baptismum tempore cessationis. Quod sentit Gloss. in cap. Quoniam, de Sentent. excomm., in 6, et Panorm., in dict. cap. Non est vobis; et in primis, si adultus sit in periculo mortis, res videtur indubitata, quia non est illi minus præceptum baptisma jure divino, quam Eucharistia, neque est minus necessarium, quam sit sacramentum poenitentiae peccatori jam baptizato. Deinde, quia propter periculum vitæ, ut dicitur in dict. cap. Quoniam, semper hoc sacramentum reputatur necessarium; et propterea parvulis non tantum dari potest tempore cessationis, quando illi sunt in mortis periculo, sed absolute quolibet convenienti tempore; ergo eadem ratione dandum erit adultis etiam seclusa occasione mortis, quia quoad reliqua, magis illo indigent, propter majorem necessitatem gratiæ ad vitanda peccata, exercenda merita, etc. Denique in eo textu, quod pro aliis notandum est, non est nominatus baptismus parvulorum, quia solis parvulis eo tempore dandum sit, sed quia juxta morem Ecclesiæ in pueritia dandum est, ita ut licet adultus baptizetur, ille possit dici baptismus parvuli, non facto (ut sic dicam), sed jure; nam in pueritia dari poterat, et debebat, si convenienti tempore sumeretur. Ex quo sumi potest confirmatio; nam, si baptismus dandus est infanti tali tempore, cur negandus est adulto? Fingamus enim cessationem positam esse tempore in-

fantiæ alicujus, et durasse usque ad adultam ætatem; numquid, si parentes negligentes fuerunt in eo baptizando tempore infantia, baptizari non poterit in adultæ ætate, aut amittet jus suum propter solum ætatis augmentum? Certe id non est verisimile. Hæc ergo pars videtur probabilior, et rationes dubitandi in contrarium solutæ sunt.

23. *An cessationis tempore possit baptismus cum solemnitate ministrari.* — Secundum dubium est, an in his casibus possit baptismus cum solemnitate ministrari, vel tantum privatim; nam id solum videtur concedi quod necessarium homini est; sola autem substantia sacramenti est absolute necessaria. Nihilominus respondeo, baptismum cum tota sua solemnitate concedi, tum quia quoties jus de baptismo absolute loquitur, intelligitur de baptismo solemniter ministrato, quia, perse loquendo, non debet aliter ministrari; tum maxime, quia non solum conceditur quod est homini necessarium, sed etiam quod decet ipsum sacramentum; non enim hoc minus necessarium est. Et ad hoc faciunt quæ in simili diximus agendo de interdicto. Et hoc aperte sensit Abb., dict. cap. Non est vobis, num. 8, ubi ex hac concessionem infert, etiam esse concessam confectionem chrismatis, quia sine chrismate non fit baptismus. Quod non est verum, nisi de baptismo solemniter ministrato.

24. *An confirmatio tempore cessationis ministrari possit. — Decisio.* — Tertio dubitari potest de sacramento confirmationis; nam de hoc nihil in jure invenimus, quia, licet in d. cap. Quoniam, de Sentent. excomm., in 6, dicatur, confirmationem ministrari posse tempore interdicti, tamen jam dictum est in his privilegiis seu concessionibus nomine interdicti non comprehendi cessationem; aliunde vero in dict. cap. Non est vobis, non excipitur confirmatio. Nihilominus tamen multi Doctores graves, qui de hac materia consilium Salmanticiæ fecerunt anno 1556, quoad hanc partem censuerunt, posse confirmationem dari tempore cessationis. Eandemque sententiam insinuat Panormitanus, paulo antea citatus; dicit enim quatuor sacramenta concedi tempore interdicti, et tertium dicit esse confectionem chrismatis, sub qua comprehendere videtur usum ejus per confirmationem; nam pura confectio vel alius usus ejus sacramentum non est. Nec refert, quod dicat, *tempore interdicti*; nam infra exponit, in casu illius textus non esse interdic-

tum proprie, sed cessationem a divinis. Hæc ergo pars propter auctoritatem probabilis est; difficile autem est eam probare textu, vel ratione. Ut enim consequenter loquamur, non possumus dicere concessionem interdicti extendi ad cessationem; dicere vero possumus, concessionem baptismi extendi ad confirmationem, et hunc esse sensum dict. cap. Quoniam, cum periculum moræ, quod est in baptismo, commune faciat confirmationi. Et ratio esse potest, quia confirmatio censetur esse veluti perfectio quædam et complementum baptismi, sicut dictum est supra agendo de interdicto. Ex quo etiam fit, ut decisio cap. Quoniam, de confectione chrismatis in die cœnæ Domini, non obstante interdicto, etiam in cessatione a divinis locum habeat; non propter extensionem interdicti ad cessationem, sed quia illa decisio, supposito priori principio, non pendet ex novo jure positivo, sed ex natura rei sequitur ex alio principio in jureposito, quod, qui concedit actum, consequenter concedit quæ sunt prævia et necessaria ad actum.

25. *An tempore cessationis pœnitentia extra periculum mortis ministrari possit.* — Quarto dubitari potest, an sacramentum pœnitentiæ possit tempore cessationis ministrari extra mortis periculum. Nam in dict. cap. Non est vobis, solum excipitur pœnitentia morientium. Nihilominus citati auctores Salmanticenses, ut ferunt, docuerunt etiam hoc sacramentum posse eo tempore ministrari. Quam sententiam tenet etiam expresse Covarr., in cap. Alma, part. 2, § 4, n. 7, verb. *Utrumque tamen sit*. Mihi autem non constat in quo priores Doctores fundati fuerint; Covarr. autem fundari videtur in cap. Alma, ubi conceditur, ut tempore interdicti sacramentum hoc dari possit quibuscumque, qui per censuram, vel pertinaciam, seu defectum dispositionis impediti non sunt. Nam licet concessio illius capitis (ait Covarr.) non in omnibus extendatur ad cessationem a divinis, tamen in his permissionibus, quæ non pertinent ad ordinariam divinorum officiorum celebrationem, extendi debet, et præsertim in hoc, quod pœnitentiæ sacramentum ministretur etiam sanis, quia solum est quædam juris veteris extensio.

26. *Covarruvixæ fundamentum et opinio rejicitur.* — *Sententia negans præfertur.* — *Limitatio.* — Verumtamen ex hoc ipso principio difficilis mihi fit hæc opinio; nam si hæc fuit

extensio, ergo jure antiquo non licebat ministrare sacramentum pœnitentiæ tempore cessationis extra articulum necessitatis; imo supra diximus, etiam C; tempore interdicti nihil circa hoc statutum inveniri in jure veteri; et sane, cum in cap. Alma, hoc tanquam novum specialiter concedatur, satis significatur antea non licuisse; ergo a fortiori diceandum est ex vi juris antiqui hoc non licuisse tempore cessationis. Est autem in superioribus ostensum, jus antiquum integrum manere quantum ad cessationem a divinis, eo quod interdictum et cessatio in jure distincta sint, et nulla nova moderatio loquatur de cessatione, sed tantum de interdicto. Quæ ratio æque probat de illa extensione cap. Alma, quoad hoc sacramentum pœnitentiæ; nec Covarr. affert rationem aliquam ob quam hæc permissio extendatur ad cessationem, potius quam permissio spectans ad divinorum celebrationem. Nam utraque ita est extensio, ut sit etiam correctio antiqui juris; ergo in hoc pares sunt; cum ergo sub interdicto intelligamus cessationem in prima clausula, et non in secunda, solum video dici posse, pœnitentiam esse magis necessariam, quam alia divina officia, et ideo in illa magis admittendam esse hanc benignam interpretationem, quæ pia est, et satis expediens ad animarum salutem; tamen hoc non obstante, oppositum censeo verius in rigore juris; consuetudo autem præcipue fundata in doctorum virorum auctoritate, et a pastoribus tolerata, poterit excusare.

27. *Prohibetur etiam Ordo, extrema unctio, Eucharistia extra viaticum, et matrimonii solemnitas.* — Ultimo dubitari potest de aliis sacramentis, quod ex dictis breviter expediri potest. Certum est enim Ordinem et extremam unctionem dari non posse, nec Eucharistiam extra viaticum. Hæc enim a fortiori sequuntur ex dictis in proximo dubio et ex dictis etiam de interdicto. Idemque dicendum est de solemnitate matrimonii; de ipso vero matrimonio quoad substantiam, idem dicendum est tempore cessationis, quod de tempore interdicti; non quia cessatio sub interdicto claudatur, quod semper negamus, sed quia in utraque prohibitione æquale dubium est, an matrimonium privatim, et sine solemnitate Ecclesiastica et benedictione contractum, sequatur quoad hoc naturam sacramenti vel humani contractus; et ideo videnda sunt superius dicta, et hinc applicanda.

De privatione Ecclesiasticæ sepulturæ.

28. *Non potest fieri Ecclesiasticum officium quo tempore corpus sepelitur.* — Hic est potestremus effectus cessationis a divinis. In quo duo distinguenda sunt. Unum est ipsa Ecclesiastica sepultura, seu depositio cadaveris in locum sacrum. Aliud, Ecclesiasticum officium, quod juxta Ecclesiæ consuetudinem fieri solet, dum corpus hominis fidelis traditur sepulturæ. Quoad hoc ergo secundum certum est, tempore cessationis a divinis non posse illo modo corpora fidelium tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, quia cessatio absolute prohibet omnia Ecclesiastica officia, cap. Non est vobis, de Sponsal., cum aliis supra citatis; sed hoc est unum ex divinis officiis; ergo hoc etiam prohibitum est ex vi cessationis. Et ita in hoc nulla est controversia inter Doctores. Nec etiam est dubitatio quin nullum juris privilegium nullave exceptio pertinens ad similem effectum interdicti quoad hoc locum habeat in præsentem; præterquam quod supra ostendimus, etiam in ipso interdicto non esse jure concessa privilegia quoad hanc partem; consulantur ibi dicta, et ad hunc locum cum proportionem applicentur.

29. *Utrum cessatio privet Ecclesiastica sepultura.* — *Communis sententia.* — De primo vero est difficultas, an sit prohibita sepultura Ecclesiastica quoad ipsum locum sacrum, per cessationem a divinis. In qua re communis sententia affirmare videtur, propterea quod cessatio a divinis privat omnibus, quibus privat interdictum; sed interdictum privat Ecclesiastica sepultura; ergo et cessatio. Major nullo jure probatur, sed solum communi Doctorum consensu. Addunt vero quidam, hoc limitandum esse ad laicos; nam clericis concedi potest sepultura Ecclesiastica propter cap. Quod in te, de Pœnitent. et remiss., ubi hoc privilegium clericis conceditur. Sed hæc limitatio non habet fundamentum in illo textu; loquitur enim solum de interdicto, et jam sæpe diximus privilegia concessa tempore interdicti, ex vi verborum non extendi ad cessationem. Alii limitant hoc solum ad presbyteros, ut possint sepeliri saltem in cœmeterio Ecclesiæ, quia cum cessatio strictius obliget quam interdictum, non debet illud privilegium cap. Quod in te, extendi æque in cessatione ac interdicto; est autem rationi consentaneum, ut aliquo modo concedatur saltem presbyteris, qui sunt perfectissimi inter simplices clericos, ut videlicet in

cœmeterio possint sepeliri, licet non intra Ecclesiam.

30. *Excluditur quorundam limitatio.* — Sed hoc arbitrium voluntarium est ex pia quadam consideratione sine juris fundamento, cum tamen hæc omnia in illo fundentur. Quapropter supposito priori principio, quod cessatio privat Ecclesiastica sepultura, consequenter loquendo, nulla est facienda exceptio ex vi juris, quia nulla invenitur, quæ de cessatione loquatur, et non sufficit loqui de interdicto.

31. *Refutatur sententia communis.* — Major difficultas est in ipsa generali assertione, quod cessatio privet fideles sive clericos sive laicos Ecclesiastica sepultura quoad ipsum locum sacrum, quia nec jure, nec ratione, nec sufficienti auctoritate fundari potest; ideoque non est pro libito asserendum, vel credendum, cum ad pœnam, et rigorem pertineat. De ratione per se notum est, quia omnis hæc prohibitio pendet ex jure positivo. Probatur ergo prima pars, quia in primis nullum est jus, quod in particulari declaret hunc effectum, seu prohibeat sepulturam; nam si esset, ab aliquo auctorum, vel Doctorum hoc asserentium citaretur, quod non fit; neque in omnibus decretis supra adductis, quæ de cessatione mentionem faciunt, hoc legitur. Deinde, neque sub generalibus verbis comprehenditur, quia solum in illis decretis dicitur cessandum esse eo tempore ab omnibus divinis officiis, ut patet præcipue ex cap. Non est vobis, de Sponsalib.; at vero hæc traditio sepulturæ in loco sacro, si absque alio divino officio fiat, per se non est divinum officium in rigore et proprietate; ergo non comprehenditur sub generali prohibitione, quæ cum odium, et rigorem contineat, strictè interpretanda est. Et confirmatur, nam supra tractando de hoc effectu interdicti, diximus cum communi sententia, privilegia, quæ tantum concedunt participationem divinorum officiorum tempore interdicti, ex vi verborum non concedere locum sacrum in sepulturam, quia non est divinum officium; ergo a fortiori e contrario cessatio, quæ solum prohibet omnia divina officia, non propterea vetat dari locum sacrum in sepulturam absque sacro officio.

32. *Axioma, in quo communis opinio fundatur, rejicitur.* — Præterea, illud axioma, quod cessatio privat omnibus rebus sacris, quibus privat interdictum, in nullo jure habetur, ut patebit intuenti omnia supra citata.